

gignit; neque ea uno tempore anni, ut semper et novitate delectemur et copia? Quam tempestivos autem dedit, quam salutare, non modo hominum, sed etiam pecudum generi, iis denique omnibus, quae oriuntur e terra, ventos Etesias? quorum flatu nimii temperantur calores; ab iisdem etiam maritimi cursus celeres et certi diriguntur. Multa praeter- eunda sunt; et tamen multa dicuntur. Enumerari enim non possunt fluminum opportunitates; aestus maritimi tum accedentes, tum recedentes; montes vestiti, atque silvestres; salinae ab ora maritima remotissimae; medicamentorum salutarium plenissimae terrae; artes denique innumerabiles, ad victum et ad vitam necessariae. Jam diei noctisque vicissitudo conservat animantes, tribuens aliud agendi tempus, aliud quiescendi. Sic undique omni ratione concluditur, mente consilioque divino omnia in hoc mundo ad salutem omnium conservationemque admirabiliter administrari.

Cap. LIV. Hic quaerat quispiam, cujusnam causa tantarum rerum molitio facta sit: arborumne et herbarum? quae quamquam sine sensu sunt, tamen a natura sustentur. At id quidem absurdum est. An bestiarum? Nihil probabilius, deos mutorum et nihil intelligentium causa tantum laborasse. Quorum igitur causa quis dixerit effectum esse mundum? Eorum scilicet animantium, quae ratione utuntur. Hi sunt dii et homines; quibus profecto nihil est melius. Ratio est enim, quae praestat omnibus. Ita fit credibile, deorum et hominum causa factum esse mundum, quaeque in eo sint, omnia. Faciliusque intelligetur, a diis immortalibus hominibus esse provisum, si erit tota hominis fabricatio perspecta, omnisque humanae naturae figura atque perfectio. Nam quum tribus rebus animantium vita teneatur, cibo, potione, spiritu; ad haec omnia percipi- enda os est aptissimum, quod adjunctis naribus spiritu augetur. Dentibus autem in ore constructis manditur, atque ab his extenuatur et molitur cibus. Eorum adversi acuti